



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Historiae Ecclesiasticae Pars ...

Historiae Ecclesiasticae Pars Tertia, Qva Continentvr Hermiae Sozomeni
Salaminij lib. 9. Euagrij Scholastici Epiphanensis lib. 6

Christopherson, John

[Köln], 1569

Quo modo Tyrannus Constantinus insignia Imperij deposuerit, ac
presbyter ordinatus fuerit, ac tandem interfectus sit, tum de reliquis
Tyrannis, qui aduersus Honoriũ insurrexerant. Capvt XV.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12718

SOZOMENI HISTOR.

Quo modo Tyrannus Constantinus insignia Imperij deposuerit, ac presbyter ordinatus fuerit, ac tandem interfectus sit, tum de reliquis Tyrannis, qui aduersus Honorij insurrexerant.

CAPVT XV.

Post victoriam rursus traicente Honorij exercitu ad ciuitatem, certior factus Constantinus, Edobichum esse sublatum, ipse sibi purpuram & Imperij insignia detrahit, & ad ecclesiam confugiens ordinatur presbyter: tum accepto prius iureiurâdo qui intra mœnia erant, portas aperiant, ac veniam consequuntur omnes. Itaque ex eo tempore prouincia ista rursus ad Honorij Imperium reuersa est, ac ducibus ab illo constitutis paruit: Constantinus autem vnâ cum Iuliano filio in Italiam transfusus, antequam eo perueniret, in itinere occiditur: nec multo post præter expectationem interimuntur Iouianus & Maximus tyranni prædicti, tum etiam Sarus & alij plurimi cum his, qui Imperio Honorij fuerant insidiati.

De Imperatoris Honorij pietate, De morte Constantij eiusq; liberis, qui Honorio successerunt: De pace quæ tunc per vniuersum orbem viguit. CAP. XVI.

Sed hæc recensere non est huius temporis. Necessariò tamen ideo commemorauit, vt hinc sciremus Imperatori ad conseruationem Imperij sui sufficere, si Deum studiosè colat, ac sit qualis hic Imperator extitit. Aderat autem ipsi & Galla Placidia soror eius ex patre, consimiliter magnam gerens curam pro religione & ecclesiis: Fam in vxorem duxit Constantius, is, qui Constantini Tyrannidem sustulit, vir in armis strenuus, & in rebus bellicis exercitatus, quem Imperator præmij loco tum sorore tum corona, tum purpura, tum Imperij consortio honorauit: qui quidem cum paululum temporis superuixisset